

tior aedificii, regni, ovilis; atqui totum aedificium, quantum est, incumbit Petrae, totum regnum subest habenti eius claves, totum ovile Pastori obedit. Ergo etiam Synodus oecumenica subest Romano Pontifici ut capiti suo eamque ipse ordinaria et immediata plena sua potestate moderatur et regit. Imo, ut iam monuimus, quod immediate deducitur ex verbis Christi est potestas immediata Petri in totam Ecclesiam, in totum regnum, in totum ovile: porro concilium oecumenicum non est aliquid amplius quam tota Ecclesia, totum regnum, totum ovile: ergo. Et re quidem vera eatenus alia esse posset habitudo Episcoporum ad Romanum Pontificem cum dispersi sunt, alia cum in Synodum omnes coeunt ut in priore hypothesis subessent in in altera pares essent vel superiores, quatenus penes Pontificem esset quidem suprema potestas executiva, ut aiunt, non vero suprema potestas legislativa et iudicialis, sed haec reperiretur tantum in coetu Pastorum: atqui penes Romanum Pontificem non est sola potestas suprema executiva, sed est potestas suprema legislativa et iudicialis quoque, eaque est ipsius propria independenter ab Ecclesiae consensu et voluntate: talis est enim potestas petrae, potestas clavium regni, potestas omnia atque omnes ligandi et solvendi, quae soli Petro data est (Th. I): ergo eadem semper manet habitudo Episcoporum ad Rom. Pont.

VI. Iam vero potestas haec de qua hactenus locuti sumus est vere potestas episcopalis. Potestas Episcopalis est ordinaria et immediata potestas ecclesiasticae iurisdictionis in suo genere completae quae nempe sit legislativa, iudicialis, coactiva. Atqui talis est potestas Romani Pontificis in universam Ecclesiam, imo est perfectissima potestas obtinens apicem Episcopatus. Iurdictio enim ipsius est iurdictio legislativa, iudicialis, punitiva, huc enim redit potestas solvendi et ligandi omnia et omnes; est suprema universalis independens, quia est potestas habentis claves Regni. Hinc, ut iam audivimus, Episcopus is est et dicitur universalis, vel Episcopus catholicae Ecclesiae. Quia vero eadem potestate gaudet in omnes Episcopos, ut probavimus, hinc et eiusdem potestas in Episcopos vere Episcopalis est, unde dictus est Episcopus Episcoporum, Pastor Pastorum.

THESIS XIV.

*Quocirca habet Romanus Pontifex in universam Ecclesiam plenitudinem potestatis, non solum quatenus omnia possit, sed quatenus omnis iurisdictionis potestas, qua fideles reguntur, ab ipso est; ideoque Episcopi iurisdictionem ordinariam in suis Ecclesiis non a Christo immediate habent sed immediate a Vicario Christi, cui praeterea iure divino potestas competit eligendi Episcopos, modumque electionis eorum determinandi.*

I. Potestatem Rom. Pontificis vere coactivam esse patet ex dictis (Proleg. §. XIX); nunc de eius perfectione sermo est.

Plenitudo potestatis, de qua loquimur, non absoluta est, sed relativa ad societatem quae regitur: est scilicet plenitudo potestatis in regno, et pro regno. Hanc porro claritatis gratia dicimus duplici ratione concipi posse: *positive tantum et exclusive*. Positive tantum, si potestas princeps possit quidem atque ordinario iure omnia quae necessaria et utilia sunt pro regimine totius regni, omniumque subditorum: sint tamen alii qui simul cum ipso et sub ipso, quin tamen acceperint ab ipso, aliquid saltem possint. Exclusive vero, si ita princeps possit omnia, ut omnis potestas qua regnum regitur vel sit sua ipsius potestas, vel sit ab ipsa, ita ut eius potestas vel formaliter vel virtualiter contineat omnem potestatem aliam qua societas regitur. Talis est potestas absoluti monarchae in societate politica.

Plenitudinem potestatis secundum priorem rationem competere Romano Pontifici facili negotio demonstratur. Ea enim hos postulat characteres: quod possit scilicet ordinario iure in iis quae pertinent ad regimen societatis omnia quoad omnes sive in ferendis legibus, sive in iudiciis instituendis, sive in tuenda coercitive executione legum; atque nihil legitime fieri possit contra eius voluntatem, ut omnis proinde potestas alia in regno sit *directe* ab eo dependens (Proleg. §. XVIII, III). Atqui talis est potestas Romani Pontificis in Ecclesia. Qui enim habet claves regni, omniaque et omnes potest ligare et solvere, et idcirco subiectum est unicum potestatis supremae et universalis in Ecclesia, omnesque tum singillatim tum coniunctim immediate regit, is potest profecto ordinario iure omnia quoad omnes sive in ferendis legibus sive in iudiciis instituendis sive in tuenda coercitive observatione legum, omnesque qui sunt in regno quod eorum functiones regiminis directe regit: haec enim sunt propria auctoritatis supremae in societate. Nullus propterea valere potest actus qui contra voluntatem eius ab aliquo fiat qui sit in regno: ad potestatem enim ligandi et solvendi spectat vis efficiendi ut actus subditi,

si ea velit, nihil legitime valeat; hac autem vi existente iam est irritum et inane quidquid fit dissentiente eo qui illa potestate in universum regnum potitur. Certum proinde est quod ait S. Pius V in Bulla excommunicationis reginae Elisabeth. « Regnans in excelsis, cui data est in caelo et in terra potestas, unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris, videlicet Apostolorum Principi Petro, Petrique successori Romano Pontifici in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. »

Hanc plenitudinem potestatis asseruit certe Bonifacius I qui (epist. XIV ad universos episcopos per Thessaliam constitutos) affirmans institutionem universalis nascentis Ecclesiae sumpsisse principium de b. Petri honore in quo regimen eius et forma consistit; monet id testari quoque praecepta Nicaenae Synodi, « adeo ut nihil super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri; *omnia denique huic noverat Domini sermone concessa* ». « Si omnia, ergo defuit nihil quod non illi concesserit » ait Nicolaus I epist. 8 ad Imper. Constantip. Quibus consonant quae habet Zosimus (epist. XI ad Patres Concilii Chartaginiensis): Patrum traditionem apostolicae sedi *tantam auctoritatem* tribuisse, *ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, tantam potentiam*, ex ipsa Christi Dei nostri promissione, *ut et ligata solveret, et soluta vinciret*; atque ita profecto *ut nullus posset de eius retractare sententia*. Eam certe plenitudinem potestatis definivit florentina Synodus affirmans « Romano Pontifici in b. Petro pascendi regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. *plenam potestatem* traditam esse. » Eandem doctrinam confirmavit Synodus vaticana sess. IV c. 3.: « si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent... A. S. ». Imo id cogente universali consensu vel ipsi Gallicani fassi sunt in art. 2<sup>o</sup> suae declarationis, etsi ex praeiudicata sua opinione non dubitaverint simul id asserere quod eidem contradiceret: qua de re in Th. XIX.

II. Sed difficultas potissimum est quoad aliam rationem plenitudinis potestatis. Haec autem quaestio huc redit: an iurisdicatio Episcoporum in suis Ecclesiis sit a Christo immediate, an sit a Christo mediante Romano Pontifice, h. e. immediate a Romano Pontifice. Neque enim ullus negat eam esse a Christo, a quo omnis est in Ecclesia potestas, atque esse etiam immediate a Deo immediatione actionis, Deus enim in omnibus cum omnibus causis immediate operatur; sed quaestio est de immediato principio, immediatione scilicet sup-

positi, quae causam secundam inter primam aut principalem et effectum excludit.

Sunt igitur qui censeant iurisdictionem ordinariam Episcoporum esse immediate a Christo, iisque argumentis utuntur, quibus iam (Prolog. §. XVII) demonstravimus divinam institutionem Episcopatus. Hanc vero immediatam a Christo derivationem potestatis ita generatim explicant ut ea a Christo conferatur in ipsa ordinatione episcopali, sit tamen tantum in actu primo et quoad exercitium ligata, nec ad actum reducibilis nisi cum Summus Pontifex approbans Episcopum territorium et subditos assignat. Sic putant manere in tuto subordinationem Episcoporum erga Rom. Pontificem; nam licet utriusque immediate a Deo obtineant iurisdictionem, illi tamen subordinatam eam habent potestati Rom. Pontificis; nec enim opus est ut quaevis iurisdicatio procedens immediate a Deo, sit independens. Censent e contrario alii plures instituisse quidem Christum Episcopatum, voluisseque Episcopis regi Ecclesiam suam, ita tamen ut Episcopis singulis iurisdicatio ordinaria a Papa conferretur, adeo ut ante hanc Papae collationem nulla vi ordinis sit Episcopi iurisdicatio vel in actu primo, sed solum aptitudo ex Christi institutione ut iurisdicatio obtineatur. In priore hypothesis dici nequit Romanum Pontificem posse absque iusta causa licite et valide iurisdictionem Episcopis adimere vel restringere: posita enim conditione a Romano Pontifice assignationis subditorum, se exerit in Episcopis iurisdicatio divinitus accepta, ipsa est enim quae exercetur; ea vero a Rom. Pontifice poterit quidem ratione dependentiae iustis de causis modificari, temperari; imo ex iure interpretandi ius divinum declarare licebit Romano Pontifici quod certis in casibus sit amissa, at directe auferri ab ipsis non poterit, quia in subiecto heic non existit per ipsum, sed iure divino, et ius divinum praevalet iuri Pontificis. In altera autem hypothesis nequit quidem id licite Papa, sed potest certe valide, ut actus eius vim per se habeat, nec sibi iurisdictionem asserere possit Episcopus ob praetextum defectus iustae causae. Ex quo iam incipit apparere quaestionem hanc non esse de nomine, quod manifestius in sequentibus liquebit; attingit enim quaestio naturam Primatus totamque oeconomiam iurisdictionis ecclesiasticae. Loquimur de iurisdictione Episcoporum in suis Ecclesiis: quid de iurisdictione eorum in synodis oecumenicis erga universam Ecclesiam tenendum sit docebimus deinceps suo loco. Quaestio praesens agitur inter Theologos catholicos.

III. Defendimus itaque plenitudinem potestatis Romani Pontificis in universam Ecclesiam esse talem ut vel formaliter vel virtualiter complectatur omnem potestatem qua Ecclesia regenda est et regitur, ut idcirco sit immediatus fons a quo est iurisdicatio Episcoporum.

Haec est sententia quam cum Caietano in tract. de auctoritate Papae et concilii c. 3. atque Dominico Soto in 4<sup>o</sup> D. 20 sequitur Bellarminus de Rom. Pontif. L, IV, c. 22. seqq. qui ait eandem videri sententiam veterum scolasticorum Bonaventurae, Alberti, Durandi et aliorum in 4<sup>o</sup> D. 18 aut 19, aut 24: et quidem si haec loca conferas, certior fies hanc esse sententiam doctorum quos nominavimus.

Itaque id primo dicimus exigi a natura Primatus quem Christus instituit: cuius proinde verba accurata analysi considerata sunt. Sane Romanus Pontifex habet sub Christo claves huius regni caelorum quod est Ecclesia: iam vero, collatis iis quae dedimus in 1<sup>a</sup> thesi, functio et potestas habentis claves ita repraesentatur ut ipse aperiat et nemo claudere possit, ut ipse claudat et nemo possit aperire; qui vero talem potestatem aperiendi et claudendi puta domum habet, eo ipso tali etiam potestate est instructus ut nemo alius aperire aut claudere possit nisi ipso simul aperiente aut claudente, vel faciente potestatem aperiendi aut claudendi. Si enim quis sine ipso aut citra potestatem ab eo factam possit aperire et claudere, fieri quoque poterit ut eo aperiendo aliquis claudat, et eo claudente aliquis aperiat. Propria ergo vis huius imaginis clavium quas habens aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, eo spectat quoque ut significetur quod sine eius cooperatione aut sine potestate ab eo facta nemo possit claudere et aperire. Porro si haec ad rem significatam transferantur quae est potestas in regno nempe in Ecclesia; manifestum est talem significari potestatem Petri, ut non nisi ipso cooperante aut facultatem tribuente valeat quis alius in hoc regno potestatem aliquam exercere quod metaphorice dicitur aperire et claudere. Ergo iurisdictio episcoporum immediate a Romano Pontifice dependet non quidem quatenus cum illis cooperetur; id enim excluditur a dignitate Episcoporum qui ex Christi institutione debent esse in Ecclesia ordinarii Pastores, sed quatenus iurisditionem accipiant ab eo qui claves solus accepit communicandas ceteris.

Et re quidem vero Romanus Pontifex potest in hoc regno omnia solvere et ligare. Si per se res spectetur, actus huius potestatis hic quoque esse potest ut iurisdictio cuiuslibet Episcopi valide etiam citra certam causam vel sine reddita ratione auferatur. Bonum quidem Ecclesiae, sicut nec alterius societatis, non exigit ut suprema potestas ex arbitrio exerceatur; sed bonum Ecclesiae postulare potest ut talis sit potestas suprema quae, etsi identidem (frequentiam enim casuum ipsa natura societatis ac supremi rectoris utilitas spectatis legibus moralibus, ac divina providentia certe impediunt) sine iusta causa exerceatur, eius tamen actus valeat. Id certe exigitur quoad plura quae auctoritati politicae subduntur, cum in civili socie-

tate suprema potestas se exercet, idque finis ipse socialis h. e. tranquillitas ordinis exigit. Igitur potuit Christus hanc auctoritatem conferre Romano Pontifici ut valeat etiam sine iuxta causa auferre ab Episcopo iurisditionem. Iam vero si ita est, oportet verba Christi: *quodcumque solveris* etc. ita interpretari ut hanc quoque potestatem contineant. Nam Christus nullam iurisditionis supremae actum excipit, imo omnem includit; limes proinde si quis figendus est, peti debet ex fine qui est bonum Ecclesiae. Sed ne erretur in usu huius normae, ea caute adhibenda est. Scilicet non ita est adhibenda ut ea tantum auctoritas asseratur collata a Christo Petro, quae necessaria et sufficiens est, aut nobis videtur; nam fieri potest quod Christus aliquid amplius dare voluerit, et amplitudo verborum Christi quantum fieri potest servanda est: sed ita est ea norma adhibenda ut illud solum excludatur quod nequit componi cum utili regimine huius regni vel quod ab alia aliunde nota Christi institutione excludatur. Atqui utile regimen Ecclesiae tantam potestatem a iurisditione Romani Pontificis non excludit, sicut nec societates politicae eam excludunt a suprema auctoritate: alia vero institutio Christi, quae est institutio episcoporum, huic potestati Romani Pontificis non adversatur: cum eo enim quod Christus voluit esse episcopos apte componitur quod voluerit ipsorum iurisditionem ex toto pendere a suo Vicario. Ergo verba Christi dicta Petro hanc quoque potestatem continent. Atqui non haberet hanc potestatem Romanus Pontifex, si ipse non conferret Episcopis iurisditionem, ut iam monuimus: ergo.

Et sane iurisdictio Romani Pontificis est iurisdictio vicaria Christi, est scilicet ipsa iurisdictio Christi communicata Romano Pontifici: est autem iurisdictio universalis pro toto regno. Atqui institutio talis potestatis vicariae exigit ut quamlibet iurisditionem quam Christus in Ecclesia exercet, exerceat per suum vicarium: porro conferre iurisditionem est actus iurisditionis: ergo.

Talem certe potestatem intellexerunt tum Optatus (L. VII n. 3<sup>o</sup>) inquiens « Petrum solum accepisse claves regni communicandas ceteris »; tum aquileiense concilium affirmans cum Ambrosio (epist. XI) a Romana Ecclesia in omnes venerandae communionis iura dimanare: tum Leo (serm. IV de assumpt. sua) affirmans Christum nunquam nisi per Petrum dedisse quidquid aliis non negavit; ac (epist. X) huius muneris sacramentum ita in Petro apostolorum omnium summo principaliter collocasse, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet; atque Innocentius III (epist. 209 L. II) docens sic vocatos esse ceteros episcopos in partem sollicitudinis, ut nihil successoribus Petri de potestatis plenitudine deperiret: Roma-

namque Ecclesiam partem esse primam et praecipuam universalis Ecclesiae veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Dices dicta ab Optato et Leone affirmari quoque de Petro respectu Apostolorum, qui non acceperunt a Petro immediate iurisdictionem. Respondeo cum Bellarmino (de Rom. Pont. L. IV c. 24) hos Patres loqui de modo ordinario quo Deus Ecclesiae principibus dona sua confert, seposita aliqua extraordinaria ratione quae in Apostolis habuerit locum. Quae responsio ex eo probatur quod secus falsae forent simpliciter huiusmodi sententiae. Neque enim, ut ait Bossuet (defens. declar. p. II. L. XIII, c. 12), haec ideo dici potuissent quia Petro ceteros Pastores repraesentanti primum promissa est iurdictio. Nam in hac hypothesis dicere quidem licuisset datum esse *in ipso* quidquid aliis non est negatum, non vero datum *per ipsum*; nec proprie diceretur Petrus accepisse claves communicandas, utique a se, ceteris; hac enim formula activitas quaedam et auctoritas Petri significatur.

Alia demonstratio, qua efficiatur iurisdictionem episcoporum conferri immediate a Romano Pontifice, deducitur ex analysi sententiae oppositae quae continet contradictionem.

Nam affirmatur Episcopum consecratum habere iurisdictionem, et simul affirmatur oportere a Rom. Pontifice subditos assignari ut ea ad actum procedat. Ergo ante assignationem factam a Rom. Pontifice nulli sunt subditi Episcopo consecrato; nullique fideles designari possunt in quos ius habeat Episcopus, quique teneantur illi parere. Atqui contradictoria haec sunt: nam iurdictio est essentialiter aliquid relativum postulans terminum nempe subditos. Fieri quidem potest ut iurdictio sit tantum in habitu, quemadmodum in rege vi exacto a Regno; at in hoc quoque casu ideo iurdictio manet habitualiter quia exstant et possunt designari illi qui per se teneantur ei parere, puta cives illius regni, licet ex accidenti suspendatur haec obligatio: quod si nusquam illi exstant qui dici possunt subditi sui, nec ulla est amplius in eo Rege expulso iurdictio. Atqui par huic regi est in hypothesis adversariorum episcopus solum consecratum; nulli enim adhuc sunt aut designari possunt qui subditi sint Episcopi solum consecrati: nam ad eos designandos non sufficit postulatio populi vel nominatio Principis aut electio capituli ad aliquam Ecclesiam; certum est enim his nullam conferri iurisdictionem electis aut postulatis, nec ullam obligationem imponi fidelibus parendi illis. Ergo Episcopus antequam R. P. ipsi assignet subditos, habet et non habet iurisdictionem, quod implicat: ergo.

Idem evinci potest ex defectu rationis sufficientis eorum quae in opposita sententia affirmantur. Dicitur enim conferri iurdictio con-

secratione: quaeritur an possit nec ne conferri ante consecrationem a Romano Pontifice? si affirmas, negare debes talem esse ex institutione Christi hanc iurisdictionem ut sit immediate a Deo; quo posito deest ratio cur contendas eam a Deo immediate conferri. Si vero negas, adversaris praxi Romanae Sedis, Ecclesiaeque sensui quae eos habet ut vere instructos iurisdictione episcopali quos R.P. elegit et confirmavit licet nondum consecratos. Oportet ergo ut dicas aliam esse iurisdictionem, seu aliam esse eius vim vel stabilitatem eo quod alio modo conferatur. Verum huius affirmationis quoad vim iurisdictionis quaenam est ratio? cum constet reapse idem posse non consecratum ac qui est consecratus, quod spectat ad iurisdictionem. Quoad stabilitatem vero ratio cur non adeo stabilis sit in non consecrato iurdictio haec potest afferri, quia ex Christi institutione Episcopi sunt ii quibus cura Ecclesiarum demandanda est generatim; id autem probat quidem ex Christi institutione Episcopos debere praeesse Ecclesiis; non vero ipsos a Christo immediate obtinere iurisdictionem: ergo.

Tandem sic licet arguere cum Bellarmino l. c. ex inaequalitate iurisdictionis. Nam si Deus conferret per ordinationem episcopis iurisdictionem, omnes episcopi haberent aequalem iurisdictionem sicut habent aequaliter ordinis potestatem: Deus enim non determinavit unquam ἐν ὁπομοῦ episcoporum iurisdictionem: at episcopi omnes non eandem habent iurisdictionem sive quod extensionem sive quoad intensitatem: ergo.

Talis igitur est plenitudo potestatis Romani Pontificis, ut in ipsa tanquam in fonte sit omnis iurdictio qua Ecclesia regitur. Haec est profecto sententia S. Thomae, qui pluribus in locis eam docet. Satis sit haec recitare. C. G. L. IV, c. 72: « Ad iudiciariam potestatem duo requiruntur, scilicet auctoritas cognoscendi de culpa, et potestas absolvendi vel condemnandi. Et haec duo dicuntur duae claves Ecclesiae, scilicet scientia discernendi, et potentia ligandi et solvendi, quos Dominus Petro commisit, iuxta illud Matthaei: tibi dabo claves Regni caelorum. Non autem sic intelligitur Petro commisisse ut ipse solus haberet, sed ut per eum derivarentur ad alias; alias non esset sufficienter fidelium saluti provisum ». In II D. ult. in exposit. textus post art. 3<sup>a</sup> q. 2<sup>a</sup> inquit: « Respondeo dicendum quod potestas superior et inferior dupliciter possunt se habere, aut ita quod inferior potestas ex toto oriatur a superiori: et tunc tota virtus inferioris fundatur supra virtutem superioris; et tunc simpliciter et in omnibus est magis obediendum potestati superiori quam inferiori: sicut etiam in naturalibus causa prima plus influit supra causatum causae secundae quam etiam ipsa causa secunda: et sicut se habet